



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Die 19. S. Petrus Cœlestinus Papa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Deo, recitemus Psalmum : *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum!*  
cum uno S. Rosario. Sit mens, ubi Deus.

Festum S. Petri Cœlestini SS.  
Ordinis Patrum Cœlestinorum Fundatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! Quomodo primos cœpimus annos? Fuitne & nostra cum S. Cœlestino parellula prima : *Volo esse bonus servus Dei.* Si non : Hodie ut simus, fatagamus, despiciendo servitutem, quam impium sæculum suis injicit asseclis. Servire Deo præstat; quia semper lætabimur in eo. Dominus est! Quis non ministret?

*Instructio meritoria.*

Servitutem ut SS. Trinitati probemus nostram, duodecim actus fraterni amoris exerceamus reflexè, quibus & jungamus Canticum : *Confitemini Domino, quoniam Bonus; quoniam in seculum Misericordia ejus.* Liber est, qui pro Dei, & proximi vivit obsequio.

II. S.



## II.

**S** Cœlestinus à Deipara, dum cæcutiret, recepit oculum. A S. Joanne verò Evangelista instruitur in litteris, quin & Christus de Cruce ei morum, & studiorum instructores dedit Angelos. Fili! Jam colligere licet, quantum placeat cœlo, & Sanctis vita docta, & pœnitentia. Quid igitur nobis cum ignavia, & turpitudine?

*Instructio meritoria.*

Pro insigni in litteris, & moribus profectu, studia inchoabimus flexis genibus cum hymno : *Veni S. Spiritus, & hodie Crucifixum cum Maria, & dilecto discipulo in Magistros eligamus, orantes Lytanas de dulcissimo Nomine Jesu. Petra est! Adhæreamus!*

## III.

**U**T suæ ad solitudinem vocationi responderet, inauditò contemptum sui exemplò, Papatum amisit. Maluit degere solus, & salvari certò, quàm contumescere inter pericula, & mundi strepitum periclitari. Fili! In mundo versamur. Væ, si & dilexerimus. Fugiamus, ne pereamus.



pereamus. Jugum Domini suave! Dæ-  
monis intolerabile. Et ô cæcitatem!  
*Præcipit id diabolus, & auditur.*

*Instructio meritoria.*

Ad cogitationes de honoribus, favo-  
ribus, promotionibus citò respondeamus : *Si ita placuerit Domino! At glo-  
riam alteri non dabo.* Ut illa omnia  
contemnamus seriò, addamus Lytanas  
de omnibus Sanctis. Audeamus gene-  
rosi! Habemus potens pro nobis cœ-  
lum!

Festum S. Bernardini Senensis  
ex S. Ordine Seraphico.

EXHORTATIUNCULA I.

**V**ix parvulus, jam pueriles spreverat  
lusus, & totum se jejuniis, oratio-  
ni, & cultui Mariæ consecravit. Amice  
mi! quando & nos in pleno serviemus  
Deo, ac Mariæ? Cur non modò? Cur  
non hodie? Moram non patitur amor.  
Ut citò fiat.

*Instructio meritoria.*

In honorem S. Bernardini coram  
Imagine Beatissimæ Virginis sapiùs fle-  
ctamus